



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

[Proloquium.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

TRACTATUS V.
DE
CONSCIENTIA.
PROLOQUIUM.

ARduam & salebrosam de conscientia Disputationem Tibi porri-
go, Amice Lector, eamque Thomæ Sanchez judicio, gravissi-
mam, sive difficultatem spectes, sive utilitatem. Difficilis est,
quia continet celeberrimam de usu & sequela opinionis probabilis
controversiam, multis thesibus, epistolis, apologiis, dialogis, vo-
luminibus hoc tempore calidissimè agitatam. Habet hinc conscientia, ut alias
solet, suos stimulos & aculeos: dum nimirum partium concertantium duces
sua argumenta in Satyricas invectiones exacuunt, cæsim & punctim feriunt.
Quamcunque teneas aut tentes viam, non evades aculeatos hos hystrices &
herinaceos. Insidiantur præterea paritatum laquei & labyrinthi paralogismi,
si usquam, in hac materia ex varia terminorum acceptione & æquivocatione
frequentes. Auget præ omnibus difficultatibus discrimen, à regia & media
virtutis ac veritatis via in periculosas extremitates deviandi, ne vel ex una parte
nimio rigore constringantur, vel ex altera parte nimiam indulgentiam laxentur
conscientiæ, & remotis Divini timoris repagulis aperiatur porta ad innumeras
in morum materia exorbitantias, meritò à gravioribus Theologis improbatas,
& Summorum Pontificum decretis fulminatas.

Est tamen hæc ipsa de conscientia Disputatio ex materiæ dignitate, &
utilitate quoque gravissima, quia (ut appellat Jul. Mercurus) *basis totius*
Theologiæ Moralæ, omnibus quæcunque in humanis actibus occurrunt,
difficultatibus substruenda. Ideo post Actus Humanos hunc quoque de pro-
xima illorum regula Tractatum tibi offero, in quo gravissimorum Doctorum
tam intra, quam extra Scholam D. Thomæ rationes & auctoritatem secutus,
securè & conscientiosè, non tamen nimis rigidè de Conscientia sentire & loqui,
nihil à fanis, & sanctis morum principis alienum dicere volui. Tuum de hoc
esto judicium. Vive & vale.

DISPUTATIO X.
DE
Conscientia in genere.

DImissis Conscientiæ variis acceptionibus à proposito alienis, hoc loco nomine con-
scientiæ intelligimus intrinsecam & proximam Regulam morum, quæ nobis, quid
hic & nunc lege præceptum, vetitum, aut permissum, quid licitum, vel illicitum
sit, innoscit. Ejus mentionem facit Eccles. c. 7. *Scis enim Conscientia tua, quia & tu*
crebrò maledixisti aliis. c. 13. Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Rom. 2.
Testimonium reddente ipsis conscientia eorum. Sic appellatur, vel quia est *cordis conscientia*, solum
hominis

R. P. Mezger, Theol. Schol. Tom. II,